

nam, & hoc prius naturaliter quam actum, & semper prius pati quam agere. Detur enim *A* agere Dei ad extra, in quo Deus non patitur, vel non prius patitur, quam agit; tunc ut prius, Deum agere *A* agitur, quia non aternaliter, sed nouiter habet esse: agitur ergo per aliquid agi ipsum præcedens; quare & Deas prius ibi naturaliter patitur quam agit. Similiter quoque posses arguere, nullum esse primum agere Dei ad extra: Detur enim *A* primum; Tunc (ut prius) *A* agitur, quia non aternaliter, sed nouiter habet esse; agitur ergo per aliquid agi præcedens, & omne agi fit per aliquid agere prius illo: Illud ergo agi, & *A* primum agere, aliud agere causaliter & naturaliter antecedit. Ex his igitur euidenter apparet non esse necessarium de quolibet nouo agere, quod ipsum agatur per aliquid agi naturaliter prius illo, imo nec per aliquid agere prius illo, sed per aliquid agens causaliter, & ideo naturaliter prius illo. Cum igitur arguis, voluntatem agere agitur, ergo per aliquid agi prius naturaliter: non oportet. Primum enim suū agere agitur per Deū & per ipsam, non per aliquid suū agi, aut agere temporaliter aut naturaliter antecedens. Si quis tamen uoluerit dicere, quodlibet agens creatū prius naturaliter pati quam agere, quia in agendo subijcitur, & posterioratur Deo agenti, probabiliter multum potest, & concorditer dicitur in multorum, & sic loquendo de pati, ratio non procedit. Quod autem arguitur de causalitate menti respectu dilectionis odijque in Deo, redarguitur per tricesimum nonum primi. Illud autem Psalmi, Præoccupemus faciem eius in confessione, non mouet: Non enim dicit Propheta, Præoccupemus cooperationem diuinam nobiscum, sed faciem eius in confessione; in confessione, inquam, laudis Deum laudando; unde subungitur, & in Psalmis iubilemus ei; & in confessione fraudis teipsum accusando; Ideo sequitur; Venite, adoremus, & prociēdamus ante Deum, ploremus *coram Domino*; quod ut faciamus, nos præuenit operando: Confessio namque & magnificentia opus eius. Nec illud Psalmi, Mane oratio mea præueniet te, debet mouere: quia non dicit oratio mea præueniet cooperationem tuam, sed te; quasi diceret; Mane orabo coram te, coram facie Dei meique quod ut faciam, Spiritus Sanctus tacit ipso namque filij Dei agitur. Illa uero de Psalmo 113. similiter possunt intelligi & exponi, reliqua autem de Zacharia, & Paralip. erant exposita tricesimo quinto primi. Illud autem Marci, Domino cooperante &c. nec apparentiam quidem habet; Dicitur uero Damasceni non obuiat: Non enim affirmat quod electio operationum est nostri & Dei, & prius nostri quam Dei, sed quod prius bene elegimus operando, quam finale præmiū consequamur. Dicitur etiam Lincolnienfis, si bene intelligatur, non obuiat: Cautela namque antecedens, ut ibi loquitur, necessitatem naturalem includit. Unde sic ait: Antecedentia, de qua fit hic sermo, est euentus futuri secundum cursum nature: necessarij præordinatio. Quod autem idem Lincolnienfis, Damascenus, & Augustinus uidentur asserere, quod in bonis uoluntas diuina sit prior humana, & in malis posterior, quomodo facit pro uobis? Actus enim bonus uoluntatis & malus secundum substantiam actuum sunt boni naturaliter, sicut patet per uicesimum quintum secundi, & uicesimum sextum primi; sunt etiam quantum ad naturalem substantiam actuum similis rationis: si ergo unus secundum substantiam actus fiat antecedenter à Deo, & alius. Si etiam (sicut supponitur) non deceat Deum uelle aut tacere malum antecedenter; quomodo deest eum trahi à Diabolo, à quolibet peccatore, & à qualibet matrice ad consentiendum eorum maleficijs quibuscumque, & ad uolendum & faciendum ea omnia consequenter? Quomodo namque deest, quod uoluntas diuina cuilibet pessimo, uelut adultera, supponatur, & opprimatur à quolibet uolentem? Quomodo uoluntas diuina, exultat, & sequitur ex humana contra uicesimum, & uicesimum tertium primi libri. Verumtamen pro intellectu Patrum, sciendum quod sicut 34. & 39. primi præmissa restantur, Deus uult seipsum primo, secundo quodammodo uult bona alia extra ipsum, tertio uero mala, quatenus uidelicet ex malis proueniunt quædam bona, ipsius prouidentia omnia suauiter disponente; sicque uult Deus bonum prius quodammodo & antecedenter, malum uero posterius & consequenter, quia finaliter propter bonum. Sciendum insuper, quod Deus uult & facit bona merita uoluntatis per gratiam naturaliter præcedentem, sicut 40. & 41. primi docebant; mala uero non sic: Quare potest dici Deum uelle bona antecedenter, mala autem nequaquam. Augustinus uero cum dicit, quod ad malum hominis prior est eius uoluntas quam Dei, intelligit, sicut puto, quod ad malum poenale hominis prior est uoluntas eius desinquentem, quam Dei puniens: Aut enim, si in eo quod dictum est, Morite moriemini, quoniam non est dictum, Moribus, eam solam intelligamus; quæ fit cum anima deserit sua uita, quod illi Deus est: Non enim deserta est ut desereret, sed ut desereretur deseruit: Ad malum quippe eius prior est uoluntas eius; ad bonum uero eius prior uoluntas Creatoris eius; siue ut eam faceret, quæ nulla erat, siue ut resisteret, quæ lapsa perierat: *etiam* ergo hanc intelligamus

sciam qui fecit nos;

sciam

A intelligamus Deum denuntiasse mortem, in eo quod ait, *Qua die ederitis ex illo morte moriemini*, tanquam diceret; *Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per iustitiam*, profecto in ea morte etiam cetera duæ denuntiatæ sunt, quæ proculdubio fuerant secuturæ. Quod autem dicit Damascenus, Deum non uelle mala nec antecedenter, nec consequenter secundum superficialiter literæ, potest refelli, per tricesimum quartum primi, potest quoque per ibi ostensa intelligi & exponi. Et quid mirum, si Damascenus negaret præficientiam Dei, in actu liberi arbitrij, cum coëfficientiam eius neget, sicut tricesimo octauo huius apparet. Dicitur quoque Chryostomi, si intelligatur ad literam, uidentur corrigendum in multis, sicut octauum huius, uicesimum & eius, corollarium, & tricesimum huius probant.

COROLLARIUM.

B Corollarium notabile, quod sacra Theologia pium & prudentem Lectorem requirit.

*E*X his autem alijsque præmissis euidenter cognoscitur, quod sacra Theologia Lectorem pium requirit pariter & prudentem, ne forsitan cum Manichæis in sacra Scriptura falsum quippiam suspicetur, aut dum omnia esse uera ueraciter confiteatur, Pelagianorum consentiat falsitati, ne uel defendendo Doctores Catholicos, hæreticis fallacius amplectitur, etiam errorem eius sequatur, aut quia errorem cuiuspiam reprobatur, etiam recte dictum eius contemnat. Quis enim lectus capitulis isto secundo & primo præmissis, imò lectis Scripturæ canonicæ & Doctorum, non facile uideat quot & quantaloca horum & illorum superficialiter uideantur Pelagianæ hæresi consentire? Loca autem huiusmodi sacra Scripturæ sepe se offerunt copiose, quorum & quædam præmissis capitulis fecitantur, quibus & Pelagius se inuenit, cui & Augustinus aliquando in parte consentit, sicut patet ex tricesimo quinto & quadagesimo quinto primi; aliquando uero apparet consentire in tantum, quod Pelagius & Pelagianus quandoque ex dictis proprijs Augustini contra ipsum pugnabant, sicut patet 1. Retrac. 9. & 15. de natura & gratia 67. & 2. sentent. Lombardi dist. 28. utriusque sedulo experimur multos afferre dicta Augustini & aliorum Doctorum ad Pelagianam nequitiam roborandam, quod & patet ex capitulis memoratis. Huic quoque Pelagius uidentur & Chryostomus consentire. Homilia namque quadagesima septima super iohannem exponens illud iohan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo, sic ait, Cum autem audieris, quoniam dedit, non destinationem simpliciter aestima, sed illud crede, quoniam qui tribuit seipsum dignum ut accipiat, ille suscipit. Qui & super illud Marth. 7. Petite & dabitur uobis &c. homilia decima octaua in imperfecto, Petite, inquit, &c. Quærite &c. Pulsate, & aperietur uobis, gratia uos prosequente; nec gratiam acquirimus nisi studuerimus & laborauerimus ne donum Dei negligentibus detur. Gratia enim adiutorium est infirmitatis humanæ; adiutorium autem dormientibus non datur, sed festinantibus & præuolentibus. Et infra homilia uicesima tertia super illud Marth. 19. Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est, sic ait; Non dixit, Non omnes possunt, sed non omnes capiunt, id est, omnes quidem capere possunt, non tamen omnes capere uolunt, sed quibus datum est: non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur, sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis ualemus: Quoniam autem uolentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit, *E* Petite, & dabitur uobis; Quærite, & inuenietis; Pulsate, & aperietur uobis: Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Debet autem uoluntas præcedere, & sic sequitur gratia; nam nec gratia sine uoluntate aliquid operatur, nec uoluntas sine gratia potest. Super illud quoque Marth. 13. Vobis datum est nosse &c. Illis autem non est datum, recitante glossa Thomæ, sic ait; Hoc autem dixit, non necessitatem inducens, nec fatum, sed demonstrans quod illi, quibus non est datum, causa sibi sunt uinitæforum malorum, ostendere uolens: quoniam cognoscere diuina mysteria docem est Dei & gratia defuper data, non tamen propter hoc liberum arbitrium destruitur. Et hoc, ex his quæ sequuntur, manifestum est. Ut enim neque illi despere, neque illi pigritentur audientes

Chryost.

Ecc

quoniam

quoniam eis est datum, demonstrat à nobis principium horum esse, cum subdit; Qui enim habet, dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo: Ac si dicat, cum aliquis desiderium habuerit & studium, dabuntur ei & vniuersa quæ à Deo sunt; cum autem his vacuus fuerit, & quæ ad se pertinent non iuerit, nec quæ à Deo sunt, ei dantur. Qui & in expositione sua perfecta super Martini & super epistolam ad Hebræos varijs locis, & in alijs multis opusculis videtur eandem sententiam profiteri.

Damasceus. Damasceus etiam tricesimo nono sententiarum videtur Pelagio consentire, conans ostendere liberum arbitrium sine Deo posse producere actum suum, sicut vice simo octauo huius apparer; Qui & infra quadragésimo quarto, Oportet, inquit, scire quoniam electio quidem operationum in nobis est; finis autem bonarum quidem Dei operationis iuste cooperantis præcipientibus bonum iusta conscientia secundum præagnitionem eius; malam autem derelictionis Dei rursus secundum præagnitionem eius iustitiam derelinquentis. Et infra eodem, Oportet scire quod Deus antecedenter vult omnes saluare: Non enim in puniendo plasmavit nos, sed ad percipiendum bonitatem eius vt bonus, peccantes autem vult puniri vultus. Robertus quoque Lincolnienſis Episcopus in De libero arbitrio, in questionibus suis de voluntate Dei, & alijs suis operibus videtur similiter Pelagianis fauere, dicendo Deum non facere, vel non antecedenter facere actum liberum voluntatis, ipsamque ex se posse consentire vel dissentire Deo gratiam offerenti, vel ad bonum quodlibet excitanti. Magnus similiter Cassianus in libro suo, De protectione Dei, sicut decimam tertiam collationum Patrum, seu tertiam, septem collationum trium Patrum ad Honoratum & Eucherium scriptarum cuidam Chæzremoni ascriptam legentibus euidenter apparer, cum Pelagio deliravit, sicut & luculenter offendit sanctus Prosper in libro suo intitulo pro prædicatoribus gratiæ Dei contra librum Cassiani Presbyteri De protectione Dei, sicut & tricesimo septimo primi, & post aliquantulum recitatur. Porro de autoritate huius sancti Prosperi viris scholasticis satis constat. De quo & in canone dist. 15, cap. vlt. vbi recitantur scripta Doctorum authentica, scribitur isto modo; Item Opuscula beati Prosperi viri religiosi. De quo & Martinus in Chronicis, agens de Leone primo Imperatore, dicit quod Prosper Aquitanicus natione his temporibus floruit, qui apud regnum Italiæ factus Episcopus, doctrina & miraculis claruit. De quo & Cassiodorus in quodam opere ad Monasterij sui fratres sic scribit; Cassianum Presbyterum, qui conscripsit de institutione fidelium Monachorum, sedulo legit, libenter audire, qui inter ipsa inuicia *sancti Prosperi*, octo principalia vitia dicit esse fugienda & paulo post; Qui tamen de libero arbitrio à beato Prospero iure culpatus est: Vade monemus, vt in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis. Cuius dicta Victor Maritanus Episcopus ita Domino iuuante purgavit, & quæ minus erant addidit, vt ei rerum istarum palma merito conferatur. Quibus Genadius Malsiliensis dissentiens, & Pelagianis, vt videtur, consentiens, de viris illustribus 84. agens de Prospero, Lege, inquit, librum sub persona eius aduersus opuscula Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nocua; Re enim vera Cassiani & Prosperi de gratia Dei & libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ. Abbas etiam Ioaſchim, licet vir in diuinis Scripturis præclarus, hac peste Pelagij est infectus, sicut ex vlt. primi patet; Multi insuper alij & magni Doctores videntur frequenter in multis Pelagio consentire: Imo & totus pæne mundus, vt timeo, & doleo, post hunc abit, & erroribus eius fauet, dum fere omnes communiter æstimant solius liberi arbitrij viribus se posse declinare à malo, facere bonum, seruare mandata, mereri gratiam, perseuerare finaliter, facere se præ destinatum & de numero saluandorum; vel si qui pauci auxilio Dei & eius coefficientia speciali se reputent indigere, se & suum liberum arbitrium Deo diuinoque libero arbitrio superbissime anteponunt. Quis ergo inter Scyllam & Charibidin, in voraginem & procellam, inter dextram & sinistram directè tutus incedit, nisi pius Lector & prudens, non inmitens prudentiæ propriæ; sed super eum, qui est simul dux, via & terminus? Quia veritas inflexa; qui teste Sapiente dux est sapientie & sapientum, emendator. Et quis Catholicus nesciat sacram Scripturam quam Pater sanctificauit & misit in mundum, in nulla sui parte debere aut posse ab homine emendari? Et quis Theologus nesciat alias Scripturas quorumcumque scriptorum non tanta firmitate semper maniri, sed posse quandoque ab hominibus emendari? Quod euidenter demonstrat realis contradictio inter ipsos: Qui enim post scriptores canonicos maiores Origine, Hieronymo, Cypriano, & clarissimo Augustino? Quorum posteriores primum merito reprehendunt, Errantit enim grauisime, sicut Theologus nullus nescit, beatusque Hieronymus aliqua eius opera emendauit. Idem quoque Hieronymus seipsum quandoque super translationis

Damasceus.

Cassianus.

Prosper.

Martinus.

Cassiodorus.

|| sano proposito Victor.

Genadius.

Ioaſchim.

* Origenes.

A nis vitio reprehendit. Vnde super Esaiam libro quinto exponens illud cap. 19. Non erit Aegypto opus quod faciat caput & caudam incuruantem & refranantem se, sic ait; In eo quod transulimus incuruantem & refranantem, possumus dicere incuruam & lasciuientem, vt intelligamus senem & puerum; nos autem verbum Hebraicum, Acmon, dum celeriter quæ sciunt sunt veritatis, ambiguitate decepti refranantem diximus. Et infra eodem libro, & capitulo super illud; Erunt terra inde Aegypto in festiuitatem, sic dicit; Melius est cor proprium errorem reprehendere, quam dum erubescere, imperitiam confiteri, persistere, pro eo quod transuli, Et erit terra inde Aegypto in festiuitatem. Pro festiuitate in Hebræo legitur Agga; quod interpretari *|| solet festiuitas;* vnde & Aggeus, in festiuium vertitur, & timor: quod significans Aquila translulit in verbum græcum, significans cum aliquis pauidus & timidus circumfert oculos, & aduenientem formidat inimicum. Quare arbitror, quod in timorem pro festiuitate vertitur, quod & magis concordat processui Propheciæ. Qui & super materia bigamia, eo quod scribens ad *|| Oceanum;* & super epistolam Pauli ad Timotheum, sicut recitatur in canone dist. 26. vnus, & infra 28. quæritone vltima, oportet; afferuit eum, qui ante baptismum habuit vnam uxorem, & post baptismum aliam, non fieri bigamum, cum profusus innouato per baptismum omnia vetera sunt derelicta; quem super hoc errore Ambrosius, Augustinus, & Innocentius reprehendunt, sicut eisdem locis in canone continetur, quos & Ecclesia imitatur. Quis etiam Theologorum ignoret contradictionem & concertationem maximam inter Hieronymum & Augustinum, quam eorum epistole clarè monstrant; In quarum vna, scilicet vicésima epistolarum Hieronymi, dicit Hieronymus se quædam in quadam epistola Augustini ad ipsum directæ hæretica iudicare. Qui & translationibus Bibliæ, in titulis Psalmorum, in autoribus ipsorum, in Melchisedech & in multis alijs contradicit. Beatus etiam Cyprianus, Doctor Catholicus & Martyr egregius, docens baptismum collatum ab hæreticis non valere, à beato Augustino de vico baptismi, sicut & recitatur 4. sent. Petri, dist. 6. corripitur. Idem quoque Augustinus Doctor præcipuus seipsum sæpius reprehendit, quare & librum retractationum scriptorum suorum composuit. Qui & post illum in libro suo de prædicatione sanctorum, quædam dicta sua retractat, sicut patet ex tricesimo quinto & quadragésimo quinto primi. Sic & venerabilis Beda librum retractationum conscripsit; sic & beatus Hilarius dicitur librum retractationum conscripsisse, in quo refertur merito retractasse id quod Petrus 3. sentent. dist. 15. recitat de libro eius de Trinitate, Christum scilicet non sensisse dolorem passionis, imò nec habuisse naturam sensitiuam doloris. Beatus quoque Hieronymus aliqua facta sua corrigit, & retractat, sicut præhabita manifestant. Si ergo tot & tanti Doctores & Scribæ delirauerunt aliquoties in scribendo, cur non licet quandoque de alijs similiter suspicari, præsertim cum quandoque illis magnis Doctoribus, quandoque verò sibi inuicem contradicant? Cur ergo non licet & dicta ipsorum in locis dubijs & suspectis, & præsertim vbi ad inuicem contradicunt, discutere, & cum omni humilitate, reuerentia & sobrietate, si oporteat emendare, seu potius à melioribus Patribus emendata humiliter declarare? Quare & sanctissimus ac doctissimus Augustinus, de natura & gratia 61. recitator quod aduersarius contra quem scribit, addaxit pro se multa testimonia non de Scripturis Canonice, sed de quibusdam catholicorum tractatorum opusculis, sic subiungit; Prima quæ posuit, quia nomen eius qui ea dixit, tibi non legit, siue quia ille non scripsit, siue quia codex, quem misisti, si id aliqua forte mendositate non habuit, pertractare quid opus est? Maxime quoniam noui me in huiusmodi quorumlibet hominum scriptis liberum, quia solis canonicis debeo sine vlla recusatione consensus. Qui & ad Paulinam de videndo Deo. 4. Si quid, ait, diuinarum Scripturarum, earum scilicet quæ canonice in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur autoritate, sine vlla dubitatione credendum est; Alijs vero testibus vel testimonijs, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere, vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpensens. Et infra 29. His, inquit, quæ vides diligenter fidenterque perspectis, attende quæ credis, & in eis ipsis; quibus non visis accommodas fidem, ipsa testium pondera discernendo perpende: Neque enim mihi sic credis, quemadmodum Ambrosio, de cuius libris tanta illa testimonia posui; aut si nobis æquali lance putas credendum, nunquid villo modo Euangelio comparabis; aut scripta nostra Scripturis Canonice coræquabis? Profecto si rectè in iudicando sapias, longè nos infra vides ab illa autoritate distare, & me quam longius; sed vtique nostrum quantumlibet credas, vtrumque illi excellentiæ nequaquam comparas: Qui & epistola 7. ad Marcellinum, Literæ toræ inquit habent questionem, non ex diuinis *|| libris,* sed meis. In talibus autem questionibus non multum laboro; quia et si defendi *|| licet,*

|| potest

|| Occisionum

Cyprianus.

Augustinus.

Beda.

Hilarius.

Hieronymus.

Augustinus.

Augustinus.

Augustinus.

sententia mea liquidatione non potest, mea est, non eius autoritas, cuius sententiam improbare fas non est; & cum eo non intellecto hoc inde sentitur quod improbandum est. Ego proinde sic me ex eorum numero esse conari, qui proficundo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautus vel indoctus a me positum est, quod non solum ab alijs qui viderent id possunt, meo tunc reprehendatur, verum etiam a me ipso, quia & ego saltem postea videre debet, si proficio, nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum est. Nam nimis peruerse seipsum amant, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius & utilius ipse ubi erravit, alij non errent, quorum admonitu errore careat? Quod si voluerit, saltem comites erroris non habeat. Si enim mihi Deus quod volo praestiterit, ut omnium librorum meorum, quaecumque mihi rectissime displicent, opere aliquo ad hoc ipsum instituto colligam atque demonstrarem, tunc videbunt homines quam non sim acceptor personarum mearum; vos autem qui me multum diligitis, si talem asseritis aduersus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehenditur, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis: facile in ea me ipso iudice superamini, quoniam non mihi placet, cum a carissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Et infra loquens quibusdam amicis vrgentibus, ut libros de Genesi, & de Trinitate festinanter completeret, quare nusquam superstes ipsos iam scriptos posset defendere contra omnes, sic ait, Quod viue propterea dicis, quia non putatis esse in eis aliquid, quod vera possit ratione culpari, alioquin non me ad eorum editionem, sed ad diligentem emendationem potius hortaremini. Ego autem Iudices veros, & veritate seueros magis intueor, inter quos & me ipsum primum constituere volo, ut ad illos ea tantum reprehendenda perueniant, quae a me quamuis sedulo perscrutante minime videri potuerunt. Et infra; Si ratio contra diuinae Scripturarum autoritatem redditur, quantumlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. Rursus, si manifestissima certaque rationi velut Scripturarum sanctarum obijciatur autoritas, non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obijcit veritati, nec quod in eis, sed quod in se ipso, velut pro eis inuenit, opponit. Cuius autoritatem eo ipso tutius prosequor, deo magis veneror, firmiterque amplector; Scio enim quod Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam & paruulis intellectum. Idem ad Hieronymum epist. 9 in epistolari Augustini; Fateor, inquit, charitati tuae, solum eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut aullum eorum autorem scribendo errasse aliquid firmissime credam; ac si in eis aliquid offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me mihi intellixisse non ambigam: alias autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinae praepollent, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores canonicos, vel probabiliter ratione quod a vero non abhorreat persuadere poterant: nec te, mi frater, sentire aliud existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium est; absit hoc a pia humilitate & veritati. Haec ideo dixi, ne videar alium sapere, perperam agere, & Patres reprehendere minus iuste: Quisquis enim fuerit Pater, vel frater, etiam Angelus de Coelo, qui Pelagianam haeresim dixerit, scripserit, tenuerit, siue docuerit, ipsum intrepidum reprehendam. Certissimus enim sum, nec in minimo haesito, verus Testamentum & nouum, Christum, Paulum, Augustinum, Gregorium, ceterosque Doctores, Ecclesiam sanctam Dei in tot Synodis & Concilijs, tot Papas & sanctos, ac tot & tam validas rationes in destructione huius haeresis non errasse, non caecos fuisse, nec caecos in fontem adduxisse. Porro de sacra Scriptura audacter pronuntio, quod nulla pars eius realiter alteri contradicit, aut haeresi Pelagianae consentit, & si quae sic facere superficialiter videatur, profecto hoc accidit ex defectu oculi minus sani; quare purgandus est oculus, ut possit sincere videre veram mentem Scripturae secundum expositiones Sanctorum, vel aliam sibi diuinitus inspirandam. Quod autem Augustinus Pelagianis aliquid quando consensit, in parte iocitari non potest; quare & se ipsum redarguens poenitebat. Si quae autem sint alia loca librorum suorum quam retractata expressit, quibus nedum apparenter, sed vere consensit Pelagio, illa in generali & in suo simili retractauit, sicut potest haberi ex 4. primi. Si igitur Augustinus Doctorum doctissimus, subtilissimus penerator, acutissimus disputator, & Pelagianorum strenuissimus expugnator fuit, quadoque errore ipsorum deceptus, quid mirum, si Chryostomus, alijque minores? Et reuera videtur mihi Chryostomus quasi

|| veritate

E

A quasi contradicere Augustino, & ab eo parumper recedere, ac Pelagianis nimium propinquare, nec in expositionibus suis per omnia recte ambulare ad Euangelij veritatem. Saluator namque gratiam gratiam Dei commendans, Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum, & nisi fuerit ei datum a Patre meo: Si autem, ut dicit Chryostomus, qui tribuit seipsum dignum ut suscipiat, ille suscipit, potius ille, qui facit se dignum, per hoc trahat se Patrem & Christum, quam e contra; Potius quoque talis per dignificationem suam, tanquam per meritum dignum, pretiumque condignum emit a Patre ut veniat ad Christum, quam Pater hoc det ei; quare & melius diceretur; Nemo potest venire ad me, nisi per meritum suum praecedens traxerit Deum Patrem, & nisi prius mereatur ut hoc ei a Patre vendatur siue reddatur. Qui & in hac expositione videtur contradicere Augustino 1. part. super Iohan. homilia vigesima sexta, qui exponendo illud verissimum verbum verbi, sic ait; Magna gratiae commendatio, nemo venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare si non vis errare: tamen secundum Chryostomum, aliqua esset causa, differentia felicitate meritorum. Quod etiam dicit Chryostomus, quod aliquis tribuit se dignum veniendi ad Christum, posset forsitan corrigi per praemissa tricesimo nono primi: Non enim est ibi dignitas antecedens voluntati diuinae. Augustinus quoque de Praedestinatione sanctorum duodecimo, tractans illud quod dixit in libello suo contra Porphyrum, & Salurem felicitate religionis Christianae nulli vnquam defuisse qui dignus fuit, si discutatur, inquit, & quaeratur vnde quis sit dignus, non desunt qui dicunt voluntate humana: Nos autem dicimus gratia vel praedestinatione diuina. Quod etiam dicit Chryostomus voluntatem debere praecedere gratiam, videtur nimis suspectum & Pelagianis errori propinquum, imò non propinquum, sed idem, sicut capitula primi de gratia manifestant. Nonne & super epistolam ad Hebraeos superius recitatus, videtur asserere, quod non dare commotionem pedibus, superare temptationes quas unque, stare firmiter & perseverare finaliter sit in libero arbitrio hominis tantum, & in nullo alio contra quartum, octauum, & alia capitula huius secundi, & contra Autores satis maiores illis capitulis recensitis? Quod etiam dicit Deum nostras voluntates nequaquam antecedere, sed e contra, etiam in actibus suis bonis, tricesimum huius damnat autoribus maioribus, & rationibus validis roboratum. Ratio vero, quam pro se adducit, satis irrationabilis esse constat; ut liberum, inquit, arbitrium nostrum non laedatur. Qualis enim laesio liberi arbitrij creari seruire, subijci & subiequi Creatorem Regem Regum, & Dominum Dominorum? Absit enim ut aliquis cum Nimphrotas graue putet seruitium obsequi Deo summo; imò ipsi seruire proculdubio est regnare, libertas optima, & aius perfecta; A cuius etiam subiectione velle discedere seruitus pessima comprobatur. O Pater Catholice, vel ponis quod voluntas humana sufficit sola producere suos actus, vel quod diuina coefferentia necessario requiratur. Si primum, à doctrinae catholice veritate cum Nemphrot & Pelagio te separas & aberras, vicesimo huius teste. Si secundum, cur doctor sobrie, si in actu voluntatis humanae & diuinae communi alterum liberum arbitrium te iudice necessario debet laedi, cur, inquam, non maius laederetur diuinum liberum arbitrium quam humanum, dum humanum praeponeis & diuinum postponis? Dum voluntatem humanam efficis dominam praecedentem, & voluntatem diuinam pedisse quam subsequenter? Dum voluntatem humanam constituis liberam, & eam à Dei etiam exitis seruitute, & voluntatem diuinam facis ancillam & seruam, & eam etiam hominis subiectione seruituti? Hic etiam Pater videris consentire Pelagio, tricesimo huius teste. Quomodo etiam dicit Apostolum non sicut propriam sententiam induxisse, nec volentis, nec eurentis, &c. cum ex Scriptura canonica veraciter, non fallaciter hoc concludat? Quod & rursus ille processus, & aliae epistolae eius multae indicant euidenter; multi quoque & magni Doctores Catholici illud verbum Apostolicum exponentes & saepius allegantes. Secunda quoque tua responsio, & expositio illius || Apostolice verbi praeracti videtur eidem Apostolo, Christo, & alijs discipulis multis Christi, doctoribus vero nostris planissime contraire, & Pelagio consentire, sicut vicissimum huius & eius cotollarium cum capitulis sequentibus clare docent. In illa similiter ratione, quam inuis consequenter; Propheta dicebat; Laua in malitia cor tuum; ergo nostrum est bonum. Si intelligas nostri tantum, Ita videlicet quod peccator solus se posset à peccato lauare sine Deo specialiter eum lauante, sicut videris sentire, falleris turpiter, sicut & Damascenus in argutia simili turpiter falleratur, sicut vicissimum octauum huius ostendit. Nonne & Peopheta alibi dicit Deo, Amplius laua me Deus ab iniuistitia mea? Ista quoque sententia videtur sententiae insensatae Pelagij consentire, sicut 3. primi pandit. Scio tamen quod possem fingere ei glossas; sed reuera non habeo scientiam, nec conscientiam

Chryost.

Augustinus.

|| autem Chryost.

|| quoque

|| Nempho-

|| Apostoli

ipsum glossandi in istis: Ideo sicut dixi superius. Theologica studia lectorem piis & prudentem requirunt: qui autem magis pius & prudens ipsum in huiusmodi glossare veraciter sciuerit non reconciliando Pelagium, placet mihi, congaudeo, acquiesco. Absit, quin lubentius semper addiscam à quolibet cuiuslibet doctoris irreprehensibilis veramentem, quam ipsum non intelligendo ex ignorantia reprehendam. Sed caueant, quæso, dictorum ipsius huiusmodi glossatores, ne Pelagianis à Christi Ecclesia relegatis viam operant reddenda, & dictis ipsorum hæreticis catholicam glossam parent. Si nempe inueniatur talis glossator magis pius & prudens Augustino, Gregorio, Beda, Prospero, quam pluribus sanctis Papis, & inferioribus Episcopis, Synodis atque Concilijs, & tota Ecclesia sancta Dei, similia dicta Pelagij & Pelagianorum non glossantibus, sed absolute damnantibus, sicut docent multa capitula primi & secundi, & quamplures libri authentici, & historie contestantur, mirabiliter admirandum quis se similem ac eorum audeat profiteri. Si namque hi sancti Patres, Ciuerunt talia dicta catholice glossauisse, & noluerunt, sed tanquam hæretica condemnarunt, impietas pessima si voluerunt, & nescierunt, ignorantia maxima, cum tu solus & facilliter istud fecas. Idem videtur dicendum de Damasceno, & alijs Patribus superius memoratis: quantum & quidam eorum in quibusdam dictis suis coloratius possent glossari. Robertus autem Lincolnensis Episcopus multa scripsit de scientia & voluntate diuina, & de libero arbitrio. Delibero siquidem arbitrio quo scripsit. Primum, vaum libellum qui sic incipit: Quia circa esse rei potest esse dubitatio: in quo magis disputatiue, & inquisitiue, quam determinatiue aut definitiue procedit. Vnde & in fine, Vtrum, inquit, motus liberi arbitrij sit sibi à se, an non; non determino, sed perspicue videntibus inuestigandum relinquo. Et infra, Quæsitio & disputatio, Vtrum motus liberi arbitrij qua mouetur ad malum, sit à Deo, subiungit, Ipsiud iterum non determino. Et infra, Quæsitio & disputatio, Numquid liberum arbitrium possit uelle bonum gratuitum, & consentire appositioni primæ gratiæ ex seipso, vel non; sed ex Deo illud prius volente & agente, & quomodo tunc non esset ibi necessitas, non determinat, sicut dicit: quas quæstiones, cum multis alijs ibi tactis, dicit se posteros determinandas relinquere. Secundò scripsit alium libellum de libero arbitrio, qui incipit isto modo; Cum per arbitrij libertatem dignior sit homo cæteris animantibus: In quo magis determinatiue procedit; Quapropter primum istorum nunquam, sed secundum quandoque soleo allegare. Et si quis obiecerit indignum videri tantillum reprehendere tantos Patres; respondendum constanter, indignius esse pro certo, tantis fauendo erroribus hæreticis consentire, & reprehendenda permittere irreprehensibilem Patrem nostrum fidei nostræ autorem, irreprehensibilem sponsam Christi, non habentem maculam neque rugam; irreprehensibilem matrem nostram & Doctores nostros maiores: Quis enim Christianus ignorat doctrinam Christi Catholicam omni doctrinæ contraria præferendam? Et quis nesciat, si Doctores dissentiant, magis authenticum in tali materia præferendum? Et quis in ista materia post Auctores sacre Scripturæ authenticior Augustino? Esti ego pusillus non debeam reprehendere tantos Patres, magna est veritas, quæ omnem reprehensibilem sine acceptatione personarum reprehendere non veretur: Nec ipsos simpliciter reprehendo, sed si scelerent errorem Pelagij, reprehenses à maioribus Patribus manifestet. Sed nec adhuc ipsos simpliciter reprehendo, nec reprehensos ostendo, sed dico me adhuc non habere scientiam, neque conscientiam ipsorum dicta per omnia sustinendi: Si enim admisero superficiem literæ, Pelagianis videor consentire: si literam glossare tentauero, timeo ne si ad mentem dicentium, adhuc Pelagio fauam: si autem contra vel præter mentem dicentium, contra mentem propriam mendax ero. Nescio etiam veraciter coram Deo talia dicta glossare, nisi meo iudicio per similem glossam Pelagianos reconciliari consensero, & Patres, qui ipsos damnauerant, condemnari, vel saltem ipsorum Patrum sententiam irritari; quod ideo maiorum prudentiæ derelinquo, & si talia dicta catholice sustinenda docuerit, deuotissimus acquiescam. Veruntamen probabiliter dici possent: Chrylostomum nolle asserere quenquam posse inchoare, conuinuare, consummare, vel inuersionem facere quicquam boni sine auxilio gratiæ; quare & videtur velle consequenter asserere, nullum posse primam gratiam promereri. Vnde super illud Matth. 7. Petite, & dabitur vobis &c. In opusculo imperfecto homilia 18. vbi erat superius allegatus, sic ait, Sciens Dominus quoniam quæcunq; mandauerat supra hominibus, impossibilia erant, & quantum ad naturam humanam supra naturam, & quoniam maiora erant mandata, quam virtus humana est, transmittit eos ad Deum, cuius gratiæ impossibile nihil est, dicens; Petite & dabitur vobis; vt quod ex hominibus consummari non potest, per gratiam Dei adimpleatur. Omnem creaturam sensibilem Deus armatam & munitam creauit: Alios enim munituit veloci pedum cursu,

Matthæus

Chrysof.

A cursu, alios armatuit vnguib; alijs velocibus pennis, alijs dentibus, alijs cornibus; hominem autem solum sic disposuit, vt virtus illius sit in se: & in eo quod infirmiore eum fecit omnibus in ipso, fortiorem eum voluit esse in se. Nam sciens Deus, quia cognoscere & colere Deum vita æterna est; ignorare autem & contemnere perditio sempiterna, nec ita infirmum eum creauit; vt omnino nihil boni facere posset; ne quem super omnia, & propter quem omnia fecerat, omnibus inueniretur esse deterior: nec ita potentem eum creauit, vt etiam sine Dei auxilio ex seipso facere posset quid vult; vt infirmitatis suæ necessitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. Et verè iustissima res est, vt factura necessario habeat factorem suum: Si enim omnis virtus hominis in Deo est, & tamen contemnit omnium bonorum suorum Autorem; quòmodo magis negligeret Deum, si potentia eius esset in ipso? Qui & intra tractans illud Matth. 21. De anima alligata, & solutione ipsius sic ait; Propter quosdam autem similitudines // asinis assimilati sunt homines, Dei filium non cognoscentes. Est enim B Animal hoc immundum, & præ cæteris pane iumentis magis irrationale, & stultum, & infirmum, & inobedientem, & oneriferum: Sic fuerunt homines à Christi aduentum. Ligata autem erat asina, id est, Diabolici erroris vinculo impedita, vt non haberet libertatem ire quo vellet. Nam antequam peccamus, liberum habemus arbitrium sequi voluntatem Diaboli, aut non: quod si semel peccantes obliuiscimur nos operibus eius, iam nostra virtute euadere non possumus, sed sicut nauis, fracto gubernaculo, illuc ducitur vbi tempestas voluerit, sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perditio per peccatum, non quid vult agit, sed quid Diabolus vult; & nisi Deus valida manu misericordie suæ soluerit eum, vique ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Quod igitur videtur dicere, aliquando hominem mereri gratiam, & voluntatem humanam præcedere gratiam, potest fortassis exponi de augmento gratiæ, siue de gratia secunda, non prima, seu etiam de quocunq; Dei dono; quod homo per gratiam promeretur. Infra namque eadem homilia sic ait, Scriptum est, Concupisce sapientiam, serua iustitiam, & Deus præbet eam tibi. Sed quid dicis? Hoc ipsum peto velle sciam, & faciam; & quomodo possum facere priusquam accipiam? Etiam quod potes fac, vt amplius possis, & quod scis serua, vt amplius scias. Iustitia enim ipsa se operatur, & ipsa se manifestat? Quomodo? Dum tu iustitiam operaris in te, iustitia te operatur in se: nam omne arificium seipsum operatur. Vt puta, operaris vineam, colligis fructus eius, & delectatus in eis melius operaris. Vides quia ipsa se colit fructificando tibi dum colitur; sic ex diuerso, qui opus peccati exequitur, ipsum peccatum, cum sit spiritus immundus, operatur in eo delectationem peccandi, vt dum delectatur circa peccatum amplius peccet. Sic & qui iustitiam operatur, cum sit ipsa iustitia spiritus sanctus, operatur in ea delectationem iustitiæ faciendæ; vt delectatus circa iustitiam amplius faciat. Tale est quod dicit sapientia, Cogitatum habe in præceptis Dei, & in mandatis eius meditare semper, & ipse confirmabit cor tuum; & concupiscentiam sapientiæ tibi dabit. Vides quia iustitia ipsa se operatur, te tantomodo inchoante & laborante; sed D ipsa se adaperit dum colitur: Sic enim qui peccat, dum peccat, magis atque magis tenebrescit mens eius, & à luce veritatis recedit, ita vt nulla scientia salutis nequitia: Sic & qui iustitiam operatur, dum operatur, magis atque magis clarescit mens ipsius, & ad notitiam sapientiæ maioris ascendit, & ipsa se iustitia quasi speculum offert ante oculos cordis ipsius. Per gratiam etiam quandoque intelligit aliquid donum Dei gratum & acceptum, quod laborando meremur, puta scientiam, sapientiam: vnde & immediate ante illud dictum de eadem homilia supra obiectum, exponendo illud verbum, Petite, & dabitur vobis, sic ait, Deus ita nos disposuit esse, vt nec studentes & laborantes circa Scripturas, acquiramus salutem scientiæ sine gratia Dei, vt ne nobis impuitemus, quod scimus; nec tamen gratiam acquiramus, nisi studuerimus & laborauerimus circa Scripturas, ne donum Dei negligentibus detur. Per hoc quoque quod inquit laborem & voluntatem hominis præcedere gratiam, fortasse intelligit præparationem, infusionem gratiæ aliquoties præcedentem, sicut tricesimum septimum, & quadagesimum tertium primi faciunt mentionem; quam tamen præparationem non dicit solum hominem facere sine Deo, nec antecedere Deo, neque ipsam esse meritoriam quomodo iuber gratiæ gratis datur. Et licet super epistolam ad Hebræos videatur velle negare Deum proprie agere actum voluntatis humanæ; apparet tamen alibi hoc sentire: Vnde super illud Matth. 27. Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & concessum dimittet eos; sic ait, Nec paruum esse existimes quod factum est: Quis enim suscitauit dominum iumentorum non velle contradicere, vel nolentes scire & concedere? Et in hoc discipulos erudit, quoniam & Iudæos poterat prohibere, sed noliuit. Aut fortitan intelligit, quod Deus non sic agit aut præagit actum voluntatis humanæ, quod eam iuuuam compellat, aut violentè necessitet ad agendum. Vnde super

Chrysofom.

Animabus

Chrysofom.

Chrysofom.

Chrysofom.

super illud Matth. 16. Si quis vult post me venire &c. scribit ita ; Vide quod non coactum A
facit sermonem : Non enim dixit, si volueritis, & si nolueritis, oportet hoc vos pati ; si quis
vult &c. Hoc autem dicens, plus audebat : Qui enim libertati auditorem dimittit, magis
Chrysof. auctoritas ; qui vero violentiam infert multos impedit. Qui & super idem verbum Christi,
Luc. 9. sic ait ; Cum autem Saluator sit pius & benignus nullum inquit aut coactum habere
vult famulum, sed spontaneos, & gratias agentes ei pro famulatu ; & ideo naminem cogendo,
aut necessitatem imponendo, sed persuadendo & benefaciendo vniuersos volentes attrahit,
dicens, Si quis vult. Ex isto autem apparet quod ipse ponit Deum præagere actum voluntatis
humane ; cur alias dicit, quod Saluator vult habere spontaneos famulos, & pro famulatu
gratias ei agentes : Cur enim agent gratias Saluatori, nisi pro famulatu beneficio prius
dato, & prius accepto ab eo ? Alioquin videretur, quod Saluator potius teneretur reddere gratias
famulis, eo quod ipsorum sui famulatu obsequio gratuite præerent. Nonne & si quis
aliter saperet, perverteret verba Christi, nec posset esse Christi discipulus sed magister, sicut B
Euangelorum sermo manifestat : Dicit enim Christus ; Si quis vult post me venire : Non dicit,
Si quis vult ante me ire, aut me præire ; dicitque, & sequatur me ; non dicit, & præcedat
me. Et iterum, qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.
Licet igitur Chrysostomus aliquoties forsitan aberrauit, videtur se postea correxisse, &
quod erroneè dixerat retractasse. Vnde Beatus Cyrillus Alexandrinus Episcopus in quadam
Cyrillus. epistola ad Ioannem Antiochenum Episcopum, & recitatur in canone dist. 50. Ioannes, sic
scribit, Ioannes Chrysostomus duabus Synodis orthodoxorum Episcoporum fuit iudicatus,
sed iterum fuit reuocatus : Non tamen expresse ibi habetur, quod ipse fuit iudicatus ex
causa hæresis aut erroris in sua doctrina, in scriptis suis aut dictis ; verum tamen immediate
ante præmittitur isto modo ; Petrus negauit Christum, & tamen postea princeps Apostolorum
factus est ; Paulus Stephanum lapidauit, & tamen à Domino in Apostolum est electus ;
multique ab hæresi ad unitatem Catholicæ fidei reuerentes, in suis ordinibus sunt recepti, alij
verò ad Episcopalem gradum sunt promoti, vt pote Augustinus & alij quamplures. Item ex
epistola Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, Ioannes Chrysostomus &c. sicut supra. Isidorus
tamen Hispanensis Episcopus de viris illustribus 6. post magnam commendationem huius
Isidorus. Iohannis, subiungit ; Hic autem decimo tertio Episcopatus sui anno discordia Theophili
Alexandri Episcopi est oppressus. Nam fauentes Episcopi Arcadii Imperatoris damnauerunt
eum innocentem, atque ab Episcopatu deiecerunt, Ponto in exilium retrulerunt. Nescio tamen
an ista damnatio fuit aliqua diiudicatio prædictarum, an alia separata : multum tamen
presumendum videtur pro multorum orthodoxorum Episcoporum bino iudicio synodali.
Theophylus quoque Alexandrina civitatis Episcopus, teste Gennadio Malsiliensi Presbytero,
de viris illustribus 33. erat Doctor Catholicus, hæreticorum strenuus expugnator, errat-
que vitæ sanctitate laudabilis & insignis. Iohannes etiam Damascenus videtur errasse non
parum in vita ; Cur ergo non potuit errasse similiter in doctrina ? In libello namque de Philo-
sophis & Philantais, refertur de eo, quod in Damasco inter Agarenos, qui dicuntur com-
muniter Saraceni, ipsorum literas didicit oportune, & quod propter eam, quæ ad omnes
manifestam & dulcem colloquutionem manifestus Regi effectus est, & honore maximo ab
ipso dignificatus est, & cum ipso adibat, vt dilectus ad ipsius Mahumetis foueam seu sepul-
chrum ; coactus est autem illic à Rege adorare, & ipse ipsius corpus venerari, & lapidi incli-
nari, & ipsum Mahumet prædicare, & prædicans Mahumetum, dixit obscure, Isti dicunt, &
magna voce, quod Mahumet Dei Apostolus est : Reuerentibus autem ipsis in Damascum ho-
noratus est à Rege, & magnatibus ipsius magnificè velut prædicans omnino inquinatum. Si
quid tamen hæc faciens prophane pollutionis contraxit, videtur abolitum & purgatum in ac-
cusatione sui mendosa lequente super crimine pessimo erga Regem, & abscissione pollicis
dextræ manus, quem secum deferens flexis genibus coram imagine misericordissimæ virginis,
quam penes se habuit, & orans deuotè cum lacrymis & profundissimo gemitu per tres dies, E
ipsum perfecte restitui impetrauit ; mortuo quoque Rege prædicto, factus Monachus, in li-
bro suo, qui Pinax, siue de centum hæresibus nuncupatur, loco centesimo hæresin Agareno-
rum, eorundem & Hmacliarum redarguit & reuicit : Veruntamen similibus forte modis,
quibus Chrysostomus, & etiam per vicesimo octauo huius præmissa potest fortassis & Dama-
scenus exponi, & similes Doctores Catholici, qui similia protulerunt. Rationabiliter namque
debemus catholicorum dicta in benigniorem partem quam possumus interpretari ; hæretico-
rum verò in odium eorum perfectum iuxta ipsorum hæresin præsumere. Intelligentia namque
dictæ intentione & causa pensatur dicendi. Nec debeo rationabiliter argui, accusare Chry-
sostomum, Damascenum, & alios sanctos crimine pessimo, hæreticè scilicet præiudicatis, quo-
niam

Chrysof.

Cyrillus.

Isidorus.

Damascenus.

|| catholicæ

A miam et si dixerint hæresin, non statim hæretici haberentur : Qui enim ex simplicitate & igno-
rantia dixerit hæresin non intendens illam pertinaciter defendere, sed paratus stare iudicio
Ecclesie & maiorum, non statim pro hæretico habendus est. Absit, absit ; tunc enim nimis multi
& magni Doctores Catholici esse hæretici ; Absit, absit ; sed potius de numero talium qui
apostolice Dei hæresin, sed non secundu scientiam ; quolibet dici potest, Si quid aliter
scripsit, & hoc vobis Deus reueletur ; corripendus est ergo & leniter instruendus. Dicit enim Papius.
Papius. Hæretici dicuntur, qui de Domino vel creatura, siue de Christo vel Ecclesia præuè
sentiant, ac hæreticè conceptam noui erroris perfidiam pertinaci prauitate defendunt. Augu-
stinus quoque 18. de Ciuitate Dei-52. Qui, inquit, in Ecclesia Christi morbidum aliquod
Augustinus. prauumque sapient, si correpti ve sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pe-
stifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt, & for-
tis exiutes habentur in exercitibus inimicis. Hoc idem euidenter probatur per Innocentium.
Innocentius. B. nium tertium, qui, sicut patet. Extra. de summa trinit, & fide Catholica, damnauit, damna-
uit & reprobauit quendam libellum Abbatis Iohannis de Trinitate, tanquam hæreticum ;
ipsum tamen Iohannem, quia omnia scripta sua submisit iudicio Romanæ Ecclesie, nequaquam
sicut hæreticum condemnauit. Vnde sic ait ; Si quis sententiam vel doctrinam præfati Ioa-
chim in hac parte defendere vel approbare præsumpsit, tanquam hæreticus ab omnibus
consecratus, in nullo tamen propter hoc florenti Monasterio, cuius ipse Iohannem exiuit insti-
tutor, volumus derogari ; quoniam & ibi regularis est institutio & obseruantia salutaris ; ma-
xime cum idem Iohannem omnia scripta sua nobis assignari mandauerit Apostolicæ sedis iudicio
approbanda, siue etiam corrigenda ; distans etiam epistolam, cui propria manu subscrip-
sit, in qua firmiter continetur scillam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, dis-
ponente Domino, cunctorum fidelium mater est, & magistra. Erat quis adhuc obijciat, quod
secundum meam sententiam saltem scripta Chrysostomi, Damasceni, Cassiani, Iohannis, &
C. ceterorum Doctorum scribentium quandoque hæretica non essent legenda, nec etiam alle-
ganda propter suspicionem & timorem veneni inclusi ; Imo sic legenda, non tamen sicut
sanctum Euangelium, sed cum prudentia & cautela, sicut Cassiodorus monet legere Cassia-
num, sicut superius recitatur ; sicut etiam alij Doctores monent legere Origenem, quem con-
stat, sicut idem Doctores affirmant, in pluribus pessime delirasse. Vnde Cassiodorus de in-
stitutione diuinarum literarum 1. Origenem, inquit, multorum Patrum sententia designat hæ-
reticum. Hunc licet cor Patrum impugnet autoritas, præfenti tamen tempore & à Vigilio
beatissimo Papa denuò constat esse damnatum ; sed quem admodum legi debeat, in epistola,
quam scripsit ad Tranquillum sanctus Hieronymus, probabiliter indicauit, vt nec studio-
sos ab eius lectione necessaria remoueat, nec iterum incautos precipitet ad ruinam ; quem
quidem non immeritò more Anei habendum esse dixerunt, qui dum sacrarum condidit pal-
mentaria literarum, ipse tamen decoctus exicatusque proiecit ; de quo conclusè dictum
est ; Vbi bene, nemo melius ; vbi male, nemo peius ; & ideo caute sapienterque legendus est,
vt sic inde succos saluberrimos assumamus, ac pariter eius venena perfidie vitæ nostræ con-
traria forbeamus. Cui & illud conuenienter aptari potest quod Virgilius, dum Ennium lege-
ret, à quodam, quid faceret, inquisitus respondit ; Aurum in stercore quaero. Quapropter in
operibus eiusdem Origenis, quantum transiens inuenire præualuit ; loca que contra regulas
Patrum dicta sunt, hæc hæresin repudiatione signaui, vt decipere non præualeat, qui tali
signo in prauis sensibus cauendus esse monstratur : Posterioris autem in toto dicunt cum esse
fugiendum ; propterea quia subtiliter decipit innocentes. Sed si adiutorio Domini adhibea-
tur cautela, nequeunt eius nocere venenosa. In concilio quoque Carthaginensi 4. sicut recitatur
Gratianus. Gratianus. dist. 37. legitur isto modo ; Episcopus libros Gentilium non legat, hæretico-
rum autem perlegat, aut pro necessitate, aut pro tempore. Istam quoque sententiam clarè
probat autoritas septimi Ecclesiasticæ historie septimo, & quadam alia tertio huius scriptæ.
E. Quomodo autem scriptores, aut scripta huiusmodi debent allegari, cognoscitur ex præmissis.
Non enim debent nec possunt sicut sanctum Euangelium allegari, sed sicut testes probabiles
& fideles in locis vbi non probantur errasse, sed sicut testes probabiles
parte dicentis non efficit plenam fidem : Quam enim constat semel errasse, & falsum dixisse,
quomodo ratione solius dicentis, in alijs credam ei ? Scio quod Iura ciuilia, & canonica de tes-
tibus idem tenent. Quare & Augustinus ad Hieronymum epist. 19. in epistolari Hieronymi,
ostendit, Nullum omnino esse mendacium in tota sacra Scriptura ; quia admissio semel in
sacra Scriptura officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ
non, vt cuique videbitur, eadem regula ad mentem auctoris officium referatur, sique nul-
quam certa erit in factis literis casta veritatis autoritas. Imo nedum autoritas talium qui er-
rarunt

Papius.

Augustinus.

Innocentius.

Quomodo li-
bri hæretico-
rum sint le-
gendi.
Cassianus.

Gratianus.

Quomodo
scriptores er-
rantes de-
bent allegari.

rarunt, verumetiam illorum qui non errarunt, sed errare potuerunt, si qui sunt tales, quantum est de autoritate solius dicentis, nequaquam fidem plenissimam administrat, sed solum illius, qui nec errat, nec potuit, potest, aut potest vniquam errare. Authenticissima igitur est allegatio Prophetarum, cum dicunt, hæc dicit Dominus; non autem hæc dicit Priscianus, Aristoteles, Tullius, Iustinianus, Pythagoras, Boetius, Euclides, Ptolomæus, aut quilibet aliorum errabilium. Quare constat sacram Scripturam, quam Pater sanctificauit, & misit in mundum, ratione sui Autoris inerrabilis, infirmitate & certitudine, authenticis omnibus alijs incomparabiliter preferendam, & ipsi soli ratione solius Autoris fidem plenissimam adhibendam: Licet enim homines Scripturam canonicam videantur scripsisse, & omnis homo mendax; non tamen ipsi eam scripserunt, sed per ipsos velut per calamus suum Spiritus veritatis, Digitus dexter Dei, sicut eadem scriptura multis locis testatur, & Doctores Catholici constantur, & catholica fides tenet: De alijs autem scriptoribus errabilibus quibuscunque, per quos non constat Spiritum Sanctum fuisse locutum, aliter sentiendū, sicut probat & docet doctissimus Augustinus locis superius memoratis.

CAP. XXXII.

Quod in omni non actione Deo & creaturæ communi, prius naturaliter est Deum ibi non agere quàm ipsam, & est, quia Deus certam actionem per creaturam non agit, ideo creatura illam non agit, & non è contra.



Stenfo siquidem, quod in omni actione Deo & creaturæ communi, Deus prius naturaliter agit quàm ipsa; restat consequenter ostendere, quod in omni non actione Deo, & creaturæ communi, prius naturaliter est Deum ibi non agere, quàm creaturam: Videlicet quia Deus certam actionem per creaturam non agit, ideo creatura illam non agit, & non è contra. Hoc namque consequitur ex trigesimo huius planè: Sicut enim duorum mouentium secundum prius & posterius ordinatorum, ita quod primum potest ex se solo non impedibiliter mouere secundum, & secundum mouere non potest, nisi sicut instrumentum motorum, antecedenter per primum, prius natura est primum mouere quàm secundum; & quia primum mouet, ideo mouet secundum, & non è contra: sic & in non mouere similiter, sicut euidenter apparet in brachio, baculo, & pila, & motore coelesti Cœlo, & aëre: quod & ratio manifestat. Priuatio namque non propriè est effectus, sed defectus; quare non propriè habet causam efficientem, sed deficientem. Hæc autem esse non potest, nisi causa superior deficiens ab agendo, quæ si ageret, causaret habitum quo priuatio tolleretur. Sicut igitur positio causæ prioris est causa positionis sui effectus posterioris: sic & remouio causæ est causa remotionis effectus: Sicut enim presentia solis est causa diei, sic & eius absentia est causa noctis: sicuti & presentia gubernatoris est causa salutis in navi, & eius absentia perditionis, sicut Philosophus 2. Phys. 30. 5. Metaphys. 2. & Anselmus de conceptu virginali 5. testantur. Quare Philosophus 5. Metaphys. 16. distinguens priora & posteriora; Alia, inquit, secundum potestatem: Excedens enim potestate prius & quod potentius: tale verò est cuius secundum præuoluntatem sequi est necesse, alterum est posterius; ut non mouente illo non moueatur, & mouente moueatur; & est præuoluntas principium; ubi & textus quem Auerroes habet. Et dicitur ante secundum potentiam vel virtutem, sicut dicimus ante dominatum: Dominus enim quia est superior in potentia dicitur; dicitur ante etiam illud quod est fortius, dicitur ante & tale est illud quod cogit alterum sequi suam voluntatem: ita quod si illud quod est ante non mouetur, non mouebitur aliud quod est post; & si mouetur, mouebitur, & voluntas est principium hic. Super quod Auerroes, Dignius, inquit, est illud quod cogit illud quod est post, ut voluntas eius cōsequatur voluntatem suam; adeo quod si illud quod est prius non mouerit, non mouebitur illud quod est posterius; & initium secundū quod hic dicitur ante, & post est volūtas scilicet quoniam volūtas debilioris sequitur voluntatē fortioris. Et hoc intendebat,

Philosophus.

Auerroes.

A debet, cum dixit, Et voluntas est initium; ubi & in eadem sententia Aibenus, Thomas, Forandus, & omnes expositores concordant. Vnde & Augustinus super illud Psalmi 148. Confessio eius super cœlum & terram; Attende, inquit, Cœlum & terram ipse fecit, ipse regit, ipse nunc gubernatur, ipse trajicit tempora, momenta, ipse instaurat, per ipsum orationa; ergo ista laudant illum sive in statu, sive in motu, sive de terra deorsum, sive de Cœlo iursum, sive vetustate, sive renouatione: Cum vides hæc & gaudes, & attollis in artificem, & inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt, intellecta contueris, confessio eius in Cœlo & in terra. Hoc idem similiter confirmatur per Philosophum 1. Prosper 12. ubi inquit medium negatiuum, propinquum demonstratiuum conclusionis negatiue; ut quare patris non respirat, ostendens non posse dici quia non est animal, quia tunc esse Animal, esset causa propinqua respirandi, & sic omne animal respiraret: Si enim negatio est causa ipsius non esse, affirmatio est causa ipsius esse: Sicut esse sine mensura calidi & frigidi non faciendi causa est; sic esse cum mensura eorundem est causa faciendi: & similiter, si affirmatio est causa esse, & negatio est causa non esse. Quod & Robertus Lincolnensis illum locum exponens similiter plane tenet; Thomas quoque ac alij exponentes. Item si creaturam non agere esset causa quare Deus non agit, & creaturam agere esset causa quare Deus agit; quare & prius naturā esset creaturam agere quàm primum agens, & prius naturā esset causam secundam mouere quàm primam contra tricesimum huius planè. Item proportionalia indicantur actiuum prius non agere in passiuum posterius, & passiuum posterius non pati ab actiuo priori, atque actiuum prius non agere per actiuum posterius, & actiuum posterius, non agere per actiuum prius; Sed duorum primorum primum est causa secundi & naturaliter prius illo, quare & reliquorum duorum similiter. Quis enim vel leuiter dubitet, quod quia actiuum non agit in passiuum, ideo passiuum non patitur, non è contra; sicut quia actiuum agit, ideo passiuum patitur, non è contra; sicut & agere est causa pati, & ipsum naturaliter antecedens: Quis enim nesciat, quod quia Deus non fecit vnum Angelum possibilem fieri quem non fecit, ideo ille Angelus non est factus, & non è contra: Et quia non fecit aliam stellam in cœlo, ideo non est facta, non è contra: Et quia non fecit Angelum perfectiorem in naturalibus, ideo non est perfectior, non è contra: Et quia non fecit Cœli maius, ideo non est maius, & non è contra: Item cuiuslibet negationis verè prima causa est ipsi Deo, sicut decima pars, & vndecima decimæ tertij primi monstrant; Negationis autem, quæ non est necessaria, sed contingens causa, in Deo videtur esse, non velle sic esse, vel non facere ita esse, sicut similitum affirmationum causa in Deo est Deum velle & facere ita esse, sicut nonum primi demonstrat. Ita quicquid non fit à causa secunda Deus vult non fieri, & non vult positiuè, scilicet habet nolè illud fieri ab ea; sicut vigesimum secundum primi & corollaria eius docent; & hoc non causaliter, nec antecedenter à causa secunda, sicut vigesimum primi monstrat: Prius ergo naturaliter & causaliter est Deum nolè positiuè, quare & nos velle atque non facere causam secundam agere, quàm ipsam non agere. Item per idem vigesimum; Nulla res positiuè posterior volens are diuina est causa voluntatis ipsius; & multum videretur indignius, quod aliqua priuatio esset causa voluntatis diuinæ; Causam ergo secundam non agere, non est causa quare Deus vult illam non agere, & non vult positiuè agere, nec quare non agit, sed è contra. Item per secundum primi, si Deus subtraheret manum suam qua cuncta sustentat, ipsa in nihilum vertentur; & hoc causaliter propter subtractionem: conseruationis diuinæ; quia namque Deus non seruetur entia, ideo non essent; non autem quia non essent, ideo Deus non ea seruetur; sicut ante productionem rerum, quia Deus non produxit res, ideo non fuerunt, & non è contra; sicut & adhuc fuisset, si adhuc nihil produxisset; & sicut ante est de multis non entibus non productis, quæ potuit produxisse. Vnde & Auicenna 1. Metaph. 9. Intentio essendi est ex causa, quæ est causa essendi, & intentio non essendi est ex causa, quæ est priuatio intentionis causæ essendi. Cui & concorditer August. 12. de Ciuitate Dei 17. Deus, inquit, vna eademque sempiterna, & incommutabili voluntate res quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse ceperunt. Dicitque Apostolus, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, ad Rom. 4.º. tanquam & hoc aliter exponatur: Dicit quoque Propheta, vocauit famem super terram, Psalmo 104. Super quod Augustinus vna expositione præmissa subiungit, An quod est credibilis, vocauit famem, id intelligendum est, dixit ut famēs esset: ut hoc sit vocare quod appellare, hoc appellare quod dicere, hoc dicere quod iubere: Nam ille vocauit famem, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: Vnde & Anselmus de Casu Diaboli 1. Deus dicitur facere non esse, quod non est, quoniam cum possit, non facit esse; ac si consideras ea quæ sunt cum transeunt ad non esse, non ipse facit ea non esse: quoniam hanc

Augustinus.

Philosophus.

Auicenna.
Augustinus.Apostolus.
Propheeta.
Augustinus.

Anselmus.